

bunt, attributa, quae nos animae adscribimus, esse corporis modificationes. Vnde apparet, necessario admittendum esse quoddam ens percipiens, intelligens, vel cogitans. Quare etiam omnes sapientes interque eos viri ingenii acutissimi, animam semper habuerunt pro substantia subsistente. Cognouerunt enim prudentes, homines esse obligatos, ut secundum certas leges viuant, & post mortem praemia vel poenas expectent, quod saepius & solide rationibus euidentibus est euictum.

10.) Sciant quoque religionis defensores, qua ratione res existentes ad Deum, causam primam reducantur. Infideles enim viam causalitatis obscurare student. Dicunt: certum est, nos existere, sed nescimus, vnde sit nostra existentia. Videmus quoque, extra nos plures res existere, sed ignoramus, quae causa eas ad existentiam perduxerit; non statim sequitur, res existentes ab ente perfectissimo esse productas, naturalis enim rerum cursus nos docet, non necessarium esse, ut hoc statuatur.

Sed quaeramus ex iis, vtrum verisimile sit, essentias rerum esse aeternas, & propria virtute inuenisse viam ad existentiam, quod volunt Stratonici; an vero verisimilius sit, esse ens perfectissimum, quod essentias rerum pro arbitrio statuit, easque ad existentiam perduxit. Posterius omnes generis humani sapientes approbarunt. Cursus rerum naturalis in hoc vniuerso nos clare docet, esse aliquem supremum Dominum, qui cuncta gubernat. Nostrae facultates mentis ita dispositae sunt, ut lubenter fateamur, hominibus praescriptam esse legem, secundum quam viuere possunt & debent. Nec abhorret mens no-